

quæ longo tractu distracta ejus usum perpetuant, pretii que moderatione copiam arguunt, & tenuissimo cuique materiam vel in culinam, vel in hypocausta subministrant.

30 Medicas herbas alit, quas aliæ regiones non nisi importatas norunt, maxime Rhabarbarum, & Muscum, quæ ab Occasu Saraceni Asiæ universæ, & exinde Europæ inferunt incredibili commercii lucro, cum hinc vilissimo pretio distrahantur. Nam Rhabarbari libram obolis decem emptam, senis septenisque aureis in Europa vendes. Hic etiam nascitur celebre multorum morborum pharmacum, Lusitani *Signum Sinicum*, alii *Sanctum* vocant, ad villius, quod ex orbe novo advehitur, medendi similitudinem, & ita nascitur, ut nullo colente è desertis locis, solo labore, nullo pretio eruat, indeque incredibili lucro emolu-